

quavis aliter judicandi et interpretandi facultate et auctoritate, judicari et definiri debere ac quidquid secus super his a quocunque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum et inane decernimus

Quibuscunque non obstantibus

Datum Romae die 15. Julii 1583.

(Bull. r. t. X. p. 162.)

Cusentina.

Publicis in supplicationibus, cadaverum associatione aliisque ecclesiasticis functionibus dum praecedentibus aervis interfuere Alumni Ordinis Minorum s. Francisci Capuccinorum in civitate Cusentina una cum Alumnis Ordinis Min. de Observ. Reformatorum, praecedentiam super Reformatos sibi jure vindicarunt juxta sancitas leges a s. m. Gregorio Papa XIII. per Bullam: „*Exposcit Pastoralis*“, editam 8. Kal. sextiles anno 1583 aliamque Urbani Pap. VIII., quae incipit: „*Nuper pro parte*“, publicique juris factam 15. Kal. Jan. anno 1637.

Quum autem ob temporum calamitates aliquantisper coenobio cedere debuissent Capuccini, post eorum reditum, occasione capta Patres Reformati vindicare sibi autumarunt jus praecedendi in iisdem functionibus ob quasipossessionem. Quaestione autem inter utramque partem circa ipsam praecedentiam exorta, dum illam privatim et amabiliter, ut par erat, componere datum non fuit, S. R. C. adivit R. P. Thomas a Treia Reformatorum Ordinis Procurator generalis, atque in causam ac iudicium evocavit R. P. Fr. Cherubinum a Mormanno Capuccinorum Ordinis Procuratorem itidem Generalem, et coram R. P. D. Secretario concordato sequenti dubio: „An et cui competat praecedentia publicis in processionibus, cadaverum

associatione aliisque publicis functionibus in casu?“ ipsam S. C. humillime rogavit pro solutione. Emi vero ac Rmi P. S. Ritibus tuendis praepositi in Ordinario Coetu ad Quirinale sub infrascripta die coadunati, ad relationem Emi et Emi P. S. Ritibus tuendis praepositi in Ordinario Coetu ad Quirinale sub infrascripta die coadunati, ad relationem Emi et Rmi D. Card. Joannis Francisci Marco-y-Catalan Ponentis, omnibus mature riteque perpensis consideratisque rationibus monumentisque hinc inde productis, rescribendum censuerunt: „Affirmative in omnibus, et praecedentiam dandam esse Patribus Ordinis Capuccinorum.“

Atque ita rescripserunt et in casu servandum esse mandarunt die 8. Aug. 1835 n. 4756.

Vd. *Constit. Bened. XIII. 14. Febr. 1726*, qua ubique terrarum praecedentia gaudere jubentur FF. Min. Ord. s. Franc. tam in processionibus quam in aliis publicis et privatis actibus et functionibus super omnes FF. Reformatos Ministro gen. totius Ord. subjectos.

(Bull. r. t. X. p. 282.)

Praecedentiam Fratrum Praedicatorum quoad alios Fratres Mendicantes et etiam non Mendicantes post Clerum Saecularem et antiquos Ordines Monachales statuit S. Pii V. Constitutio 75. incip.: *Divina*. 27. Augusti 1578.

Praecedentiam Monachis semper et ubique tribuere debent Fratres Mendicantes. S. C. R. in Monopolitana 23. Martii 1649.

Praecedentiam habent Fratres Min. s. Franc. de Observ. ante Fratres Min. Conventuales, Leon. X. Constitutio 26. incip.: *Licet*, 7. Dec. 1517, apud Laert. Cherub. in Bullar. t. 1. p. 520. alias p. 423. in noviss. impress.

Praecedentia inter Fratres etiam Observantes et Tertiarios s. Franc. servatur juxta Bullam Gregorii XIII., ut ii praeferrantur, qui prius in loco Controversiae Monasterium et locum obtinuerunt. S. R. C. causa Montis Feltri 3. Oct. 1613 et in Cosentina 1. Mart. 1614 et in Terracina 3. Sept. ejusdem anni, et in Rossanen. Terrae novae 14. Febr. 1615.

Praecedentia inter Regulares utriusque sexus incipit a die professionis, non habitus, non obstante quolibet praetextu et contraria consuetudine. Sacra Congreg. Episcop. et Regul. in Ravennatensi 12. Sept. 1588, in Augustinian. Lombardiae 7. Jan. 1650 et in alia Observantium 21. Aug. 1654.

Si duo profiterentur eodem prorsus temporis momento et eodem quoque tempore fuissent vestiti, data paritate professionis, praecedit qui prius acceptatus fuit, licet in eodem capitulo. S. C. Episcop. et Regul. in Assisiensi 13. Martii 1603 apud Nicol. l. c. sub num. 15.

Etiamsi professio facta fuisset in alio Monasterio. S. C. Episcop. et Regul. in Mexicana 3. Jan. 1594 apud Nicol. l. c. sub num. 15.

Licet quis vellet cedere juri suo. S. C. Ep. et Regul. in Assis. 30. Oct. 1600 apud Nicol. l. c. sub num. 15.

Non obstante qualibet contraria consuetudine, quae declaratur abusus. S. C. Ep. et Regul. in Neapol. 23. Nov. 1592, in Anconitana 14. Junii 1595 apud Nicol. l. c. sub num. 15.

Qui professionem nulliter emissam ratificavit, non nisi a tempore ratificatae professionis praecedentiam metitur, prout declaravit et censuit S. C. Conc. 1. Octbr. 1672 in dubio praecedentiae. Quod decretum refert Card. Petra in comment. ad Constit. apostol. tom. 4. circa Constit. 8. Eugen. IV. sub num. 17.

Decreta authentica. Tom. II.

Ex gratia concessa fuit praecedentia a S. Congregatione a die completi anni novitiatus, dum per novitium non steterat, quominus professionem emitteret. S. C. Ep. et Regul. in una Vallisumbrosian. 14. Nov. 1657 et in una Augustinian. 24. Julii 1654 apud Nicol. l. c. sub num. 17.

Praecedentia in professis ante tempus bona fide incipit a fine 16. annorum. S. C. Ep. et Regul. in una Basilianensium 13. Novbr. 1647 apud Nicol. l. c. sub num. 16.

In Laicis factis Clericis per Breve incipit a die professionis clericalis. S. C. Ep. et Regul. 26. Febr. 1649 apud Nicol. l. c. num. 16. et Lantusch Theatro Reg. verb: *Praecedentia* n. 3., ubi affert decretum ad literam.

In novitiis, durante novitiatu, praecedentia praesumitur a die habitus. S. C. Ep. et Regul. in Forosempronien. 1. Jan. 1601 apud Nicol. l. c. n. 17.

Novitii Clerici in Ordine Minor. de Observ. et Reformatorum non praecedunt Laicos Professos. Sic S. C. Ep. et Regul. 8. Augusti 1663 apud Lantusch in Theatro Regular. verb.: *Praecedentia* n. 1. his verbis: „Sacra Congreg. S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Ep. et Regular. proposita, audito Commissario generali Ordinis hujusmodi, statuit atque decrevit, dictis novitiis quousque professionem emiserint, tam in publicis quam in privatis functionibus ultimum locum deberi.“ Romae 8. Aug. 1653. M. Card. Ginettus H. Archiep. Patracen. Secretarius, et refert etiam *Matthaeucc.* l. c. n. 10. Quoad Novitios tamen Minorum refert *Pignatell.* tom. 10. consult. 56. n. 8 et 9., quod relata in S. R. Congr. per Card. Francioltum controversia a Fratribus Conversis et Oblatis Professis Ordinis Minorum excitata, ex quo ipsi praecedentiam sibi deberi praesumerent supra Novitios Clericos, qui nondum professionem

una s. *Angeli Saxiferrati* 24. Octbr. 1609, in *Eugubina* 15. Julii 1624 et in alia *Praenestina Cavarum* 13. Julii 1619, ubi dicitur fuisse declaratum, quod Parochus debeat praecedere Canonicis Collegiatae Ecclesiae in associandis funeribus defunctorum propriae Ecclesiae. Quibus concordare videtur Rituale Rom. tit. de exequiis pag. 150, ubi Parochus in omnibus funeribus praecedit incedendo ante feretrum.

Non obstant, inquam, quia omnes ipsas, quas adducit *Barb.* de offic. et potest. Parochi part. 1. cap. 9. n. 8. solvit infra sub n. 11. praecisus his verbis: „Ad illam *S. Angeli Terrae Saxiferrati*, in qua videtur declaratum, illum Presbyterum seu Curatum aut Priorem, qui defert stolam et ad ejus Ecclesiam funus defertur, aliis omnibus praecedere debere, et sic etiam Canonicis Ecclesiae Collegiatae, potest responderi, non loqui de praecedentia, quando funus defertur ad Ecclesiam ejus, qui stolam defert, *sed quando ab eo fit Officium in sua Ecclesia*, in qua praecedentiam habere debet. Ad illam vero *Eugubinam* respondetur: habere locum inter Curatum Cathedralis et Curatum s. Petri Monachorum Olivetanorum, *non autem inter Capitula Collegiatarum*. Ad Rituale Romanum respondetur: habere locum inter Presbyteros ejusdem Ordinis et alios praerogativam non habentes, cujusmodi non sunt Canonici Collegiatarum Ecclesiarum, in quibus terminis loquitur etiam Steph. *Gratian. Discept. Forens. tom. 2. c. 298. num. 83. et tom. 3. c. 492.* Et dico: Parochum debere praecedere ratione Officii, quando est inter pares, non autem quando est inter majores. Item: quod, dum incedit per viam, non videtur exercere Officium, sed sociare una cum aliis.“ Hactenus *Barb.* l. c. n. 11. Et sic pluribus adductis tenet *Panimoll.* dec. 1. adnot. 9. a n. 14 ad 20, ubi multa

habet ad rem. Immo Canonici Collegiatae debent praecedere etiam Parocho Ecclesiae Matricis, ut patet ex sequentibus ejusdem S. R. Congreg. allatis a *Pignatell.* tom. 6. cons. 84. sub num. 2., ibi:

I. „An Parochus et Clerici parochiali Ecclesiae Matrici addicti sint praeferendi Capitulo vel Canonicis Collegiatae?“

II. „An Parochus uti Protonotarius possit uti Almutia?“

III. „An Parochus Protonotarius apostolicus possit uti habitu Praelatitio in processionibus et functionibus ecclesiasticis?“

IV. „An Capitulum, quamvis non invitatum, interesse possit generalibus processionibus?“

V. „An Parochus Matricis Ecclesiae possit ad suum libitum inchoare generales processiones, non expectatis Canonicis Collegiatae, vel potius eligenda sit conveniens hora?“

VI. „An decreta alias per dict. S. Congreg. emanata, quod Capitulum Collegiatae in omnibus sit praefendum Archipresbytero Matricis Ecclesiae, quamvis Archipresbyteratis Ecclesia sit unica Parochialis et Collegiata animarum cura penitus careat, et cum Capitulum invitatum fuerit ad levanda funera, debeant omnes tam Saeculares quam Regulares convenire in Ecclesiam Collegiatam, ut sub unica Cruce Capituli incedant, debent servari etiam in processionibus generalibus, in quibus inceditur etiam sub Cruce parochiali, et nullum afferi potest praepudicium juribus parochialibus et Parocho; et quis debeat facere functiones benedicendi campis et maledicendi animalia, et a quo debeat praescribi et intimari hora hujusmodi processionum?“

VII. „An Archipresbyter in propria parochia assistens tam in Vesperis et

Missis decantatis quam in Concionibus uti possit habitu Protonotarii?“

VIII. „An dum Capitulum fuerit invitatum ad funus et illud renuat parochus levare, possit idem Capitulum ab haeredibus requisitum illud levare, praevia tamen protestatione parochi facienda?“

IX. „An Capitulum Collegiatae, dum non habet jus funerandi et corpus est sepeliendum in ejus Ecclesia ex electione Defuncti, possit erigere Crucem intra limites parochiae, cujus jurisdictionis et territorium spectat ad Archipresbyterum?“

X. „An Officium faciendum in Ecclesia Archipresbyterali circa funus ad eandem delatum pro sepultura spectet ad Archipresbyterum, et Capitulum, postquam illud associavit ad portam Ecclesiae, teneatur recedere?“

XI. „An Officium faciendum in Collegiata circa funus ad eandem delatum pro sepultura spectet ad parochum vel potius ad dignitatem Collegiatae?“

S. R. C. anno 1666 mense Augusti respondet

Ad I.: „Capitulum et Canonicos parochos Matricis Ecclesiae in omnibus esse praeferendos.“

Ad II. „Non posse.“

Ad III. „Non posse uti habitu praelatitio in processionibus ecclesiasticis.“

Ad IV. „Non solum posse, sed etiam esse laudandum.“

Ad V. „Non posse, sed spectare ad Collegiatam; et indicenda est hora conveniens.“

Ad VI. „Affirmative; et functiones benedicendi spectare ad parochum et hora debet praescribi et intimari a prima dignitate Collegiatae.“

Ad VII. „Posse.“

Ad VIII. „Posse, requisito et expectato parochi et renuente venire.“

Ad IX. „Posse.“

Ad X. „Spectare ad Archipresbyterum, Capitulum vero posse expectare vel recedere.“

Ad XI. „Spectare ad dignitatem uti in propria Ecclesia.“

Vd.: *Processio* (Clerus ecclesiar. divers. decr. n. 480; 568.).

Praecedentia debetur Canonicis Ecclesiae Collegiatae supra Collegium parochorum et aliorum presbyterorum etiam ipsius Civitatis, dum occasione Synodi vel alterius similis causae simul conveniunt. S. C. R. in Faventina Briguellae 12. Mart. 1616.

Canonici Collegiatae capitulariter incedentes in omnibus sunt praeferendi parochis et etiam parochi Ecclesiae Matricis. S. R. C. anno 1666 mense Augusti in respons. ad 1. dub. apud *Pignatell.* tom. 6. consult. 74. et novissime in Januensi 19. Jul. 1710, ubi, cum parochi Urbani praetenderent praecedentiam supra Collegiatam insignem s. Mariae Vinearum, proposito dubio: „An Canonicis dictae Collegiatae debeatur praecedentia adversus parochos Urbanos?“ S. R. C. ad relationem Eminentissimi Barberini sub die 19. Julii 1710 ad III. dubium respondit: Affirmative, ut refert *Ursaya*, qui in hac causa egregie scripsit ad favorem ejusdem Collegiatae tom. 1. p. 1 discept. 6. sub n. 192. Et iterum confirmavit stando in Decisis anno 1716 19. Julii, ut refert eruditissimus *Nicolaus Coleti* in additione ad *Ughellum* in Italia sacra tom. 4. Provinc. 8. de Januens. Episcop. p. 836. Et pluries firmavit etiam sacra Rota et signanter part. 17. recent. decis. 87. in Burgen. Praeeminentiar. coram *Rondinino* n. 4., ubi plura adducit merito videnda.

d) Clerus Eccles. Colleg. inter se, Ravenaten.

(Conc. Tr. c. 2. s. 24. De ref.)

Occasione Synodi celebratae de anno 1724 ab Archiepiscopo Ravennaten.

emiserant: „Eminentissimi Domini, visis ac mature perpensis partium juribus, censuerunt, praecedentiam deberi Novitiis Clericis supra Laicos juxta dispositionem juris communis et constitutiones editas a Capitulis generalibus Romano et Massiliensi, et ita ubique et in toto Orbe servandum esse mandarunt sub poenis in contravenientes vel non acquiescentes per regulae constitutiones decretis aliisque arbitrio Sacrae Congregationis. Die 23. Sept. 1615. Julius Episcopus Sabinensis Cardinalis Sachetus. Franciscus Maria Phebaeus Congregationis S. R. Secretarius.“

Clerici et choristae praecedunt conversis, licet professione antiquioribus: S. C. Episc. et Regul. in Fulginaten. 19. Oct. 1622 apud Nicol. in Flosculis verb.: *Praecedentia* sub num. 15. Et expresse Urbanus VIII. in suo Brevi incipiente: *Cum sicut*, in quo sub excommunicationis poena ipso facto incurranda prohibetur, ne Laici Ordinis Minorum, etiam ratione antiquioris receptionis ad habitum vel professionis primo emissae, Clericos, tam in publicis quam in privatis ejusdem Ordinis functionibus praecedere audeant. Qua censura ligantur quoque Superiores id permittentes. Vide apud *Lantusch.* in Theatro Regular. verb.: *Praecedentia* n. 2., ubi per extensum refert totum dict. Urb. VIII. Breve datum 16. Nov. 1642.

Clerici Religionis ministrantium infirmis in quibusvis actibus Laicis ejusdem Ordinis etiam antiquioribus professione praeferuntur, ut expresse statuit Alexander VII. in suo Brevi incip.: *Alias emanavit*, dat. 5. Decbr. 1662 relat. per extensum a *Lantuscha* in additione ad Theatrum Regul. verb.: *Praecedentia* n. 2. S. C. Ep. et Reg. die 6. Octbr. 1635 his verbis: „Sacra Congreg. censuit servandas esse literas Gregorii XIII. et Urbani VIII. ea de re editas, ut qui sunt in possessione

praecedentiae, praecedant, et ubi non constat de possessione, praecedant ii, qui sunt antiquiores in loco controversiae, et ita ab his, ad quod spectat, servari mandat et praecipit.“

Caeterum ubi est consuetudo, quod Regulares praecedant inter se, ratio originis religionis et non foundationis Conventus, est servanda, ut respondit S. C. Episcop. et Regul. in Forolivien. 23. Febr. 1693. Item dicta Constitutio comprehendit etiam Monachos, nempe quod Monachi praecedant inter se secundum ordinem praescriptum in Bulla Gregorii XIII. incip.: *Exposcit*, et adducta supra p. 783. Sic S. C. Rit. in Saxoferat. Nuceriniae dioec. 19. Maii 1614 et in alia causa Monachorum 29. Novbr. 1618 et idem pluries declaravit S. C. Ep. et Regul., ut referunt *Pignatell.* l. c. n. 22. et *Barb.* lib. 1. Juris ecclesiast. univ. c. 43 a. n. 183., ubi varias ejusdem Congreg. in casibus occurrentibus datas declarationes ad litteram adducit.

Salernitana Praecedentiae.

Orta alias controversia inter Fratres Reformatos ex una et nonnullos Regulares civitatis Salernitanae partibus ex altera, de et super praecedendi jure in publicis processionibus ac funeralibus, quando Reformati non incedunt cum familia Min. Observ., S. R. Congr. die 10. Dec. 1629 respondit: Praecedentiam semper dandam esse Fratribus Reformatis, sive soli per se et sub propria Cruce, sive cum familia et sub Cruce Minor. Observ. processionaliter sive in funeribus incedunt, et ita ubique servari mandavit. Cui Decreto non acquiescunt Patres s. Augustini, b. Mariae de Carmelo, s. Francisci de Paula et b. Petri de Pisis et b. Joannis Dei litis consortes.

Emanavit nuper a Congregatione Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R.

E. Card. Sacris Ritibus Praepositorum in causa praecedentiae inter dilectos filios Fratres Provinciae S. Didaci novae Hispaniae in Indiis Ordinis Minorum S. Francisci de Observ. Discalceatorum nuncupatorum ex una, et Fratres Provinciae SS. Nominis Jesu Ordinis Eremitarum S. Augustini ex altera partibus, Decretum tenoris, qui sequitur, videlicet: *Mexicana praecedentiae*. Cum sub die 13. Martii proxime effluxi in causa Praecedentiae inter Patres Discalceatos strictioris Observantiae S. Francisci Provinciae S. Didaci ex una, et Patres Augustinianos Provinciae SS. Nominis Jesu ex altera partibus, super executione Decretorum S. R. Congregationis diversis temporibus ad favorem eorundem Patrum Discalceatorum S. Franc. alias editorum et signanter lati sub die 3. Junii 1676 et per literas in forma Brevis datas 19. Junii ejusdem anni a san. mem. Clem. PP. X. approbati ac confirmati in regno Mexicano ultimo loco agitata,

S. eadem R. Congreg. super infra-scripto dubio ab Emo et Rmo Dom. Cardinali Petruccio relato, videlicet: An Fratribus Discalceatis strictioris Observantiae Ordinis S. Francisci, non solum processionibus solis et sub propria Cruce, sed etiam in concionibus, disputationibus, concurrentia Praelatorum aliisque actibus, tam publicis quam privatis, interveniente vel non interveniente familia de Observantia, competat praecedentia supra Fratres S. Augustini, tam in voce quam in scriptis, partibus acerrime informantibus auditis, reponderit: in casu, de quo agitur, praecedentiam competere Patribus Discalceatis S. Francisci, ac amplius dubium proponi vetuerit, et nihilominus non acquiescentes Patres Augustiniani institerint praeter ordinem pro declaratione supradicti rescripti, S. eadem Rit. Congreg. die

8. Maii currentis 1700 Partibus auditis, referente Emo et Rmo Cardinali Petruccio, respondit: Fratres Augustiniani pareant et perpetuo acquiescant, et ita decrevit et servari ac exequi mandavit.

Alderanus Card. Cibo.

Cum autem, sicut dilectus pariter filius Josephus Montoro praedicti Ordinis Fratrum de Observantia Discalceatorum Professor et Sacrae Theologiae Lector necnon Tribunalis Sacrae Inquisitionis Qualificator ac dictae Provinciae S. Didaci Custos et Procurator, nomine dilectorum etiam Filiorum, Ministri Provincialis et Definitorum ejusdem Provinciae Nobis subinde exponi fecit, ipse, Decretum hujusmodi, quo firmiter subsistat et servetur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri perpetuumque desuper Fratribus Ordinis Eremitarum S. Augustini supradictis silentium imponi ac tandem ejusmodi diuturnam controversiam finiri summopere desideret, Nos ipsis etc. supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum praeinsertum auctoritate apostolica tenore praesentium confirmamus et approbamus illique inviolabilis apostolicae firmitatis robor adjicimus ac perpetuum praedictis Fratribus Ordinis Eremitarum S. Augustini silentium super praemissis imponimus. Decernentes etc. sicque etc. irritum etc. non obstantibus etc.

Romae 4. Junii 1700.

Regulares succedentes de recenti in Conventum eis cessum ab aliis Religiosis ejusdem Ordinis gaudent Praecedentia, qua super alios gaudebant Religiosi primo ipsum inhabitantes. Sic late probant *Ursaya* t. 2. part. 3. discept. 11. per tot. referens plures Rotae decisiones et decreta S. R. C. et signanter decretum ema-

datum per viam legis die 17. Junii 1627 relat. ibi n. 24. sub his verbis: „Procurator enim M. O. R. narrat eidem S. Congreg. Fratres Observantes Reformatos pati controversiam circa praecedentiam quasi nuper adscitos in civitate. Cum tamen ingressi sint et habitent in Monasteriis familiae, ideo supplicavit provideri, et S. C. R., referente Card. Millino, mandavit dari omnino praecedentiam dictis Reformatis.“ Et concordat *Pignatell.* t. 4. consult. 19. num. 13., ubi, postquam probavit, quod, quando antiquior Conventus conceditur aliis Regularibus, in istos transferuntur omnes praerogativae antiqui Conventus, ait: Et in hac specie admisit S. C. R. declarando praecedentiam deberi Fratribus Minor. strictioris Observantiae ratione Conventuum eisdem cessorum per Fratres Minores Observantes.

Religiosi diversorum Conventuum ejusdem Ordinis praecedunt inter se juxta auctoritate Conventuum, quando quilibet Conventus errigit propriam Crucem juxta decretum S. Congr. Rit. adduct. supra num. 48. Et sic Rota 21. Aprilis 1690 in dict. Hispalen. Praecedentiae coram Emerix Decano §: Neque.

Regulares Conventus conatu seu violentia Turcarum vel Haeticorum aut hostili furore suppressi et postea ipsis restituti, gaudent pristina praecedentia et recuperant omnia primaeva jura; sic enim in facti contingentia fuit resolutum a S. R. C. die 6. Dec. 1645 in Augustana praecedentiae inter Minores Conventuales, quorum Conventus fuerat ab Haeticis Lutheranis Augustae suppressus, et Fratres Min. de Observ., qui post Conventualium expulsionem Conventum in dicta civitate obtinuerant. Et fuit decretum: Praecedentiam tam in processibus publicis quam in eis, quae fiunt in tumultandis cadaveribus defunctorum et

in sessionibus aliisque similibus, deberi Conventualibus postea restitutis. Et quidem merito, quia cum dictus Conventus fuerit injuste et violenter oppressus, nunquam Conventuales fuerunt privati sua legitima possessione praecedendi, licet per aliquod tempus caruerint exercitio, adeoque ex capite justitiae illam recuperare potuerunt; l. Final. Cod.: *Si per vim*, et l. Clam possidere §.: *Qui ad nundinas, ff. de acquirend. vel omittend. possess.* In similibus enim casibus redintegratio retrotrahitur ad tempus primae erectionis, cum currat in istis natura Postliminii, quod rem in pristinum statum reponit, ut patet ex dictis verb.: Postliminium per tot. et signanter n. 7., ubi Pat. Joannes Cheron Provincialis Carmelitarum a Turcis captus et postea liberatus, et decreto S. C. Episcop. et Regular. fuit manentus in possessione sui Provincialatus, cassata alterius Provincialis electione. Et sic tenet Rota coram Merlino dec. 302. n. 2., *Pignatell.* tom. 9. consult. 183. n. 12.; *Menoch.* de recuperand. possess. remed. 10. n. 111.; *Gratian.* discept. 1545. n. 9. et seq.; *Sapon.* discept. 345. tom. 5. et alii passim.

Secus autem si fuerit motu proprio Papae suppressus et postea ex mera gratia a sancta sede restitutus; tunc enim praecedentia in processibus et aliis actibus debetur Regularibus praesistentibus, quia talis restitutio habetur pro nova fundatione. Sic S. R. C. in Senogallien. 21. Jan. et 1. Sept. 1696 apud *Monacell.* part. 1. tit. 6. formul. 19. n. 14. Nisi restitutio fiat plenarie quod omnia, de quo textus in cap.: *Quamvis 8. de rescriptis in 6.*; alias nequaquam, ut ibi in litera: „Cum talis restitutio, ubi aliud non exprimitur, intelligatur fieri sine juris praesudicio alieni.“ Quia, licet dicti Regulares sint primi ratione Conventus, ad quem restituti

fuerunt, sunt tamen secundi respectu ad restitutionem et novam gratiam, adeoque, nisi Pontifex in literis restitutionis expresserit eos restituere etiam quoad praecedentiam, non possunt praecedentiam praetendere, ut ponderat gloss. in cit. cap.: *Quamvis, vero praesupponatur in fine*, ibi: „Nisi aliud Papa diceret in restitutione, videlicet, quod me restituit ad datam et prioritatem temporis, et vult gratiam meam valere perinde ac si revocata non fuisset, etiam quoad prioritatem temporis.“ *Pignatell.* tom. 9. consult. 183. n. 10. et seq. et alii passim.

12) Clerus Reg. post Confraternit.

Regulares in processibus incedunt post Confraternitates Laicorum et post eos in digniore loco Clerus Saecularis. S. C. R. in Messanen. 7. Aug. 1621.

Vd.: *Confratern.* (praeced.); *Process.* (Clerus ante Laicos).

13) Clerus Regul. ante Cler. Saecular.

Praecedentia semper debetur Clero Saeculari supra Regulares, etiam in ipsorum Regularium Ecclesiis, cap.: *Alia 6. caus. 16. quaest. 1.* cum similibus. S. C. R. in *Firmana Terrae Sanctae Victoriae* 31. Martii 1618, cujus meminit Joan. Maria Novar. in *Lucerna Reg.* verb.: Praecedentia n. 4 et 5.

Hinc eadem S. C. R. die 3. Aug. 1601 decrevit et ordinavit, ut in generalibus processibus Fratres seu Monachi vel Ordines Regulares antecedant, et Presbyteri seu Clerici Saeculares subsequantur et ultimum locum teneant, nec mixtum cum Regularibus incedant, et Clemens VIII. in sua Constit. incip.: *Quae ad removendum etc.*, 5. Nov. 1603 ex voto ejusdem S. Congregationis declaravit, Clerum Saecularem in omnibus locis, etiam

in propriis Ecclesiis, Conventibus Patrum, Monachorum et Religiosorum quorumcumque in universo regno Castellae et Legionis praefendum esse et praecedere debere, quam Clementis VIII. Constitutionem observari mandavit Greg. XV. in sua Constit. incip.: *Alias a felicis etc.* die 3. Aug. 1622.

Regulares in processibus debent Clerum Saecularem antecire necnon cum Clero Saeculari mixti incedere valent. S. R. C. in causa Castellae et Legionis 30. Augusti 1592 et in Legionen. 24. Sept. 1605 et in Neapolitana 7. Julii 1612.

Regulares non possunt praetendere praecedentiam super Parochum Regularem, quando inter alios Parochos procedit in processibus. S. R. C. in Asten. 23. Novbr. 1602 apud *Sellium* cap. 25. n. 18., et *Barbosa* in Summa apost. dec. verb.: Regular. quoad Praeced. n. 8.

Regulares debent locum digniorem in processibus cedere Clero Saeculari, licet Prior Regularium deferat in processione reliquam. S. R. C. in Senogallien. Montis Rodii 24. Septbr. 1605 et 23. Jan. 1610, apud *Barbosam* l. c. n. 9.

Praecedentia supra Clerum Saecularem debetur solis Regularibus paratis deferentibus in processione reliquis, non tamen caeteris non paratis. S. C. Episcop. in Juvenacen. 4. Septembris 1693 apud *Monacell.* tom. 1. tit. 5. num. 32.

Regulares omnes in processibus ante Clerum Saecularem distincte ac separatim ab eodem Clero, debito inter se ordine servato, sub suis Crucibus incedere debere. n. 90 die 29. Nov. 1595; n. 671 die 28. Martii 1626; n. 4373 die 15. Martii 1774.

Fratres Dominicanos etc. cogendos esse, ut scilicet ad omnes processiones generales, ad quas de consuetudine vel juxta formam Concilii Tri-

dentini accedere debent, accedant et in loco decenti ante Clerum Saecularem singuli sub sua Cruce et non mixti cum dicto Clero Saeculari incedant. n. 280 die 24. Sept. 1605; n. 644 die 18. Julii 1626.

Exorta controversia S. C. resp.: Praecedentiam deberi Capellanis Saecularibus s. Crucis supra Monachos Cassinenses. n. 1833 die 4. Augusti 1657.

In omni loco etiam in propriis Ecclesiis et Conventibus Fratrum, Monachorum et Religiosorum quorumcumque in universo regno Castiliae Clerum Saecularem eisdem Fratribus praefendum esse. n. 213 die 6. Septbr. 1603.

Praecedentiam omnino Clero saeculari supra Monachos, Fratres seu Religiosos quoscumque in omni loco, etiam in propriis ipsorum Religiosorum Monasteriis ac Ecclesiis deberi. n. 171 die 28. Septembr. 1602; n. 617 die 28. Martii 1626.

Clero saeculari semper et quandoque deberi praecedentiam supra Regulares, non obstante quolibet in contrarium introducta consuetudine. n. 1932 die 28. Sept. 1658.

Regularibus ex quavis consuetudine non competere locum supra Clerum saecularem ac proinde neque cantum 2. antiphonae in Officio defunctorum ante Presbyteros saeculares. n. 2134 die 1. Oct. 1661.

Non esse Clerum regularem miscendum cum Clero saeculari et ideo Abbati de Patientia cum suo Clero convenire in publicis processionibus locum sibi alias assignatum a Vicario gen., ut scilicet incedat cum Clero saeculari immediate post Clerum regularem, cum quo Clero regulari Abbas s. Petri . . . cum suis Canonicis regularibus incedere debet, juxta styllum, consuetudinem et ordinem universalis Ecclesiae civitatis Neapolit.

n. 455 die 7. Julii 1612; n. 496 die 5. Oct. 1614.

Non convenire nec esse permittendum, quod Regulares immisceant se cum Saecularibus in publicis processionibus. n. 1069 die 10. Jul. 1638; n. 1076 die 24. Julii 1638.

Canonicos regulares s. Augustini oppidi Tongren. in processionibus deferre debere praecedentiam Clero saeculari. n. 2187 die 2. Septbr. 1662; n. 2383 die 27. Nov. 1666.

Semper et ubique tam in processionibus et actis publ. quam in sessionibus et omni loco *et in propriis Ecclesiis* Regularium praecedentiam dandam esse Clero saeculari supra quoscumque Monachos vel alios Regulares. n. 521 die 12. Martii 1640; n. 1917 die 7. Sept. 1658; n. 3116 die 20. Julii 1686.

Canonicos, Rectores, Presbyteros et Clericos saeculares semper et ubique debere praecedere Regulares, *etsi ex Saecularium indulgentia aut humanitate aut alia forsitan ex causa secus aliquando factum fuerit.* n. 554 die 31. Martii 1618.

Confraternitates Laicorum sequantur Regulares, postremo digniorem locum obtineat Clerus saecularis. n. 603 die 7. Aug. 1621.

Clerum regularem cum Clero saeculari non esse miscendum. n. 710 die 25. Sept. 1627.

Priorem s. Augustini Salern. dioecesis in publicis processionibus cedere debere Canonicis et Clero saeculari, non obstante quacumque contraria consuetudine. n. 733 die 27. Mart. 1628.

Regulares *etiam in ipsorum Ecclesiis* omnino dare debere praecedentiam Clero saeculari. n. 745 ad 1 die 12. Junii 1628.

Nulla modo posse Regulares seu Monachos praetendere praecedentiam supra Presbyteros saeculares, *licet forsitan ex saecularium indulgentia, hu-*

manitate seu alia quavis ex causa aliter aliquando fuerit servatum. n. 883 die 7. Dec. 1630.

Praecedentiam tam in sedendo quam in processione deberi Sacerdotibus saecularibus et non Quardiano Fratrum Minorum et Priori s. Dominici, quando insimul omnes conveniunt in consecratione Olei s. in Coena D. n. 2281 die 12. Julii 1664.

Congregationi Sacerdotum saecular. Imolen. in associatione Confratrum defunctorum competit praecedentia supra Regulares. n. 3933 ad 1 die 19. Aug. 1719.

Abbati et Monachis Monasterii Abdingoffensis non debetur praecedentia in processione s. Liborii supra Capitulum Cathedral. et univers. Clerum saecul. Paderbornensem tam praesente quam absente Episcopo. n. 4354 ad 1 et 3 die 22. Dec. 1770.

14) Clerus saecularis inter sese.

a) Clerus Capituli Cathedr. ante Clerum Colleg.

Vd.: *Processio* (Clerus eccl. divers. p. 794).

Praecedentia semper debetur Canonicis Ecclesiae Cathedralis supra Canonicos Ecclesiae Collegiatae etiam in associandis funeribus propriae ipsius Collegiatae Parochiae. S. C. Rit. in Praenestina Cavarum 28. Aug. 1618.

Praecedentia in Processionibus et funeralibus danda est Canonicis Ecclesiae Cathedr. S. C. Rit. in Ripana 30. Julii 1616.

b) Clerus totus Cathedr. supra Clerum Colleg. et Paroch.

In processionibus, quae fiunt cum interventu Capituli Cathedralis, praecedentia debetur Beneficiatis ejusdem supra Parochos. S. C. R. in Taurinen. 2. Oct. 1683.

Et licet contrarium decisum reperitur in alia Bituntina 21. Aug. 1688, in qua praecedentia data fuit Parochis supra Beneficiatos Cathedr., hoc venit, quia Parochi Bituntini habent stallum in choro et sunt de Gremio illius Capituli, ut positive se recognovisse testatur *Monacell.* n. 104.

Vd.: *Processio* (Clerus saec. inter se, Clerus Ecclesiarum divers. p. 794, decr. n. 4, 1893, 2212, 2420, 3610, 358, 387, 418, 252, 5174 et ult. loco *Caer. Episc.*); *Process. funebr.* (praeced., decr. n. 442, 2420, 1415, 2442); *Paroch.* (praeced., decr. *Brixien.*).

c) Clerus Colleg. supra Parochos.

Canonicis Colleg. supra *Parochum* semper et ubique competit praecedentia etiam in associandis cadaveribus propriae ipsius parochiae. Jus tamen faciendi Officium circa corpus defuncti ad parochum in sua paroch. Ecclesia spectat.

Die 30. Augusti 1602 *Sutrina* et 2. Aug. 1603; 18. Nov. 1606 *Meliten.*

Canonici Colleg. praecedere debent omnibus rectoribus, curatis, plebanis ac presbyteris Ecclesiarum paroch. in publ. processionibus et functionibus etiam synodalibus.

Die 11. Dec. 1613 *Verul.*; 23. Mart. 1619 *Senogall.*;

etiamsi ante erectionem in Collegiatam mixtim incederent cum dictis rectoribus,

die 20. Dec. 1601 *Syracus.*; vel inferiores Ecclesiae essent antiquiores et fuissent in quasispossessione praecedendi ante erectionem,

die 26. Junii 1602 *Ilerden.*, ubi dicitur hoc procedere, etiamsi in erectione clausula adsit: „sine praedicio alicujus.“

Nec obstant contrariae declarationes ejusdem S. Congregationis, quae ab aliquibus adducuntur et signanter in